

Nachtrag.

1. Kaiser Otto II. bestätigt die hergestellte Abtei S. Martini zu Trier, und nimmt sie in seinen Schutz. 975.

I. n. s. e. i. t. patris et filii et spiritus sancti. *Otto* diuina clementia *Romanorum* imperator augustus. omnibus principibus ecclesiarumque rectoribus et cunctis fidelibus. qui sub monarchia *romani* degunt imperii. *Romanę* reipublicę status pietate elementiaque semper insignis per diuersas et regum lineas ad nos usque descendit. quem regere secundum cultum iustitię legumque censuram supernā ope ferente misericordia animo proposui. ecclesias dei honorare et eas contra diuersos tyrannorum incursus protegere. Unde *Theodericus treuirorum* archiepiscopus adiit nostrę maiestatis clementiam. rogans suppliciter pro quadam ecclesia s. *Martini* infra ipsam urbem sita. ut iura et possessiones illius. quas de tyrannorum manu retraxerat confirmaremus. imperialis auctoritatis censurā. quod facere clementer annuimus. Hec itaque sunt iura uel possessiones illius ecclesie. que s. *Magnericus* eiusdem urbis episcopus supradicto reliquit cenobio. ubi etiam corpore requiescit. si abbas eiusdem loci ex hac luce decesserit. fratres liberam et canonicam cum consensu sui episcopi facient electionem. Si religio defecerit. pontifex cum consilio uicinorum abbatum et religiosorum virorum et mutabit pastorem. et religionem monachicam reformabit. Infra urbem eandem ecclesia s. *Victoris* ad s. *Martinum* pertinet cum omnibus appendiciis suis. *Siuinic.* *Cumelanch.* *Bessilich* cum decimis suis. ecclesia s. *Synphoriani* cum appendiciis suis. *Lorchen.* *Sarceni.* (*Sarcinich.*) cum decimis suis. Intra ipsam ecclesiam s. *Martini* est altare in honore s. *Gertrudis*. ad quod spectant tres uille uelut ad matrem. *Erche.* *Hocuvilre.* *Corlanch.* cum omni earum integritate et inuestitura et dono ipsius altaris a s. presule *Magnerico* prediecte ecclesie contradito iure perpetuo. In *Gracha* curtis habetur s. *Martini*. ipsi ecclesię subiecta cum omni integritate. et libera ab omni aduocatorum iure. et villa *Occaua.* *Bessilich.* *Huncuichilent.* *Gersta* cum omni integritate. cum aquis aquarumque decursibus. farinariis. siluis. campis. pratis. conuadris. exitibus et regressibus. quesitum et inexquisitum. totum et ad integrum. remoto omni aduocatorum iure. Que omnia sub nostre maiestatis auctoritate semper inconuulta in perpetuum. deo iubente permaneant. Si quis contra hoc nostrę auctoritatis deerctum iniuste ire presumpserit. et illi uenerabili loco uiolentiam intulerit. uelut imperialis auctoritatis *Romanorum* legum et reipublicę censura plectatur. Et ut hec nostrę institutionis auctoritas per futura tempora stabiliter conseruetur et a nostris successoribus et cunctis rempublicam administrantibus credatur fidelius. anuli nostri impressione signari et muniri iussimus. stipulatione subnixa.

Signum *Ottonis* imperatoris gloriosi.

Gunterius notarius uice *Roiberti* archiepiscopi summi cancellarii recognoui et subscrispi.

Actum *Aquisgrani* palatio. anno dominice incarnationis D.CCCC.LXX.V. ind. III. epacta .XVII. concurr. IIII. anno imperii *Ottonis* gloriosi augusti .VII.

Ans neuerer guter Abschrift.

2. Erzbischof Theoderich von Trier gibt dem Convent des h. Martin die freie Abtswahl, und bestätigt alle Güter des Klosters. 975.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Cum mundus eternis regatur legibus, et uarius temporum cursus diuina prouidentia non casibus agatur fortuitis. ex decreto superum propter delicta inhabitantium ciuitas *Treverensis* data gentibus *Normannorum* uastatione a suo statu concidit. et postmodum resurgens imperii mutatione. tyrannorum principum successione tempore *Gisalberti* ducis seu *Conradi* ab inuasoribus episcopium omne direptum est. ecclesię destructę. possessiones subrepte. dei cultus imminutus et sine respectu diuini atque imperialis iudicij maligni contra ss. dei nitebantur ecclesias. eā tempestate diuina clementia prouidente. ego *Theodericus treverice* urbis curam pastoralem suscipiens ad restorationem ecclesiarum et diuinę religionis animum appuli. inter cetera considerans ecclesiam s. *Martini*. in quā s. *Magnericus* archipresul corpore requiescit. fere destructam possessionibus priuatam quibus eam idem s. uir ex propria hereditate ditauerat. atque post eum uiri fideles ex hoc mundo recedentes. miseratione ductus eam reparauit. et cuidam religioso abbatи *Engelberto* ad regendum sub normā regulari tradidi. redditis possessionibus. que de potestate malorum hominum retraxeram. Hec sunt iura ab ipso s. presule *Magnerico* et a me ipso contradicta supradicto *Martino*. et nomina possessionum ibidem iure pertinentium. si abbas predicti cenobii ex hac luce migrauerit. fratres liberam et canoniam cum consensu episcopi. facient electionem. et idem abbas eiusque successores eundem locum cum omnibus illie pertinentibus. uidelicet ecclesiis. uillis cunctisque appendiciis absque ullius contradictione siue inquietudine cum omni pace possideant. si religio defecerit. . . (wie die gleichzeitige Urkunde von Otte . .) . . *Gerste* cum omni integritate. remoto omni iure aduocati. quę omnia sub defensione nostrę stolę et successorum meorum semper tuta permaneant. Hec est possessio hereditaria et hec sunt iura a b. uiro predicto delegata monasterio. que quicunque uiolare temptauerit et uiolenter remouerit. a presenti et celesti submoueatur ecclesia. nec fidelium cetui inseratur. sed careat miseratione diuina. nisi temerarium ausum recognoscens ecclesię satisfaciat. et iniuste intercepta remittat. Quam nostrę deuotionis atque concessionis institutionem. ut per futura secula firmius teneatur et fidelius conseruetur. apostolico atque imperiali sigillo communiri fecimus. et hanc paginam nostri sigilli impressione confirmari iussimus. Data *Treveri*. anno domin. incarn. D.CCCC.LXX.V. ind. III. epacta .XVII. concurr. IIII. im-

perante Ottone magno imperatore. anno VII. imperii eius. in dei nomine feliciter. Amen.

Aus neuerer guter Abschrift.

3. Verzeichniß des Schatzes der Abtei Prüm. 1003.

Anno dominice incarnationis M. III. regni autem regis serenissimi atque orthodoxi Heinrici I. ipso iubente recensite sunt res *prumiensis* ecclesie sub *Vdone* loci eiusdem abbate. Quod monasterium quondam diuē ac predicande memorię *Pipinus* rex sub honore s. salvatoris domini nostri Ihesu Christi. ac s. geneticis eius Marię et s. Iohannis bapt. beatorumque apostolorum Petri & Pauli. seu etiam ss. martirum. protomartiris Stephani. Dionysii. Mauritiū. nec non et confessorum Martini. Vedasti et Germani. Benedicti. atque omnium sanctorum construxit. et de scandalis domini et reliquias supradictorum inibi recondiuit. Sed et processu temporum pronepos eius *Lotharius* imperator augustus licet alio modo non dispari tamen affectu idem monasterium multiplici possessione ditauit. varioque ornamentorum genere decorauit. unde ut manifestius fiat. ponauit eiusdem prefati imperatoris uerba. quoniam precepto de ecclesiastico thesauro sic ait inter cetera. Notum inquit. esse uolumus omnibus s. ecclesie filiis presentibus uidelicet et futuris. obtulisse nos gubernatori nostro deo pro animę nostrae salute et celestis patrię adeptione opus quod diuino cultui dicandum propriis sumptibus iussu ad ornatum prefati s. loci per succendentium curricula temporum in diuinis laudibus iugiter possidendum. euangeliū scilicet cum ebore. cristallo atque auro gemmisque compositum .I. bibliothecam cum imaginibus et maioribus characteribus in uoluminum principiis deauratis. neenon et seraculis cum catenulis argenteis deauratis .I. capsam auream cum altare subposito innitentem quatuor columpnis argenteis et alia capsula modica altari superposita et coronula aurea. nec non et crucem auream gemmata altari affixa cum diuersis cristogis bine inde connexis optimi generis gemmis undique decoratam. una cum reliquiis his nominibus infra reconditis. astantibus duobus archiepiscopis. *Tetragando* uidelicet *treuirorum* antistite et *Rugnando arelatensium* presule. seu cunctis eiusdem cenobii fratribus. id est. de ligno s. crucis. de sepulchro domni. de loco caluarię. de presepio domni. deinde sanimentum de lapide ubi orauit in monte oliueti. de sudario domni. de spongia. de testimento s. Mariac. manum s. Iacobi fratris domni cum parte brachii. caput s. Cosmę. brachium s. Georgii mart. brachium s. Theodori mart. absque manu. pedem s. Simeonis qui dominum suscepit in templo. os s. Zacharię filii Barachię. os s. Thomę ap. pedem et brachium s. Anastasię virg. caput Sisinii mart. pedem s. Hieronimi presb. simul et brachium s. Stephani prothomart. ossa prophetarum. ossa innocentium. calicem aureum cum patena aurea in crucis modum compositum gemmatum una cum cochleario aureo gemmatoque. et fistula nichilominus aurea cum gemmis. offertorium aureum gemmatum cum patena .I. fontem aureum cum gemmis .I. fanonem auro et margaritis orna-

tum I. casulas XII. Hucusque *Lotharius*. Sed et eiusdem imperatoris tempore *Marcuardus* ipsius loci prouisor. accepta imperiali epistola *romanum* pontificem nomine *Sergium* adiit. ac preciosorum martyrum Chrisanti et Darię corpora. una cum reliquiis XLVI. martyrum ab eo percipere meruit. quę congrua ut decuit deuotione ad prefatum monasterium detulit. partemque eorum ibi reliquit. et cetera cum summo honore in cellam. quę *nouum monasterium* nuncupatur. ad eundem locum pertinentem. transtulit. ubi nunc eorum intercessionibus ad laudem sui nominis orantes Christus exaudit. Sunt preterea ibi de corporibus sanctorum scilicet Andree ap. et non modice partes preciosorum martirum Primi et Feliciani. Eusebii et Pontiani. Gordiani et Epimachi. Marii. Marthę et Audifax. et Abacue. Mauritii et sociorum eius multimode reliquie. Crispini et Crispiniani. Ypoliti. Tiburci. Timothei. Bonefacii. Ioh. et Pauli mart. Laurentii. Christophori. de columpna ad quam in passione dominus flagellatus est. de spinea corona. it. Cornelii. Calisti. Marcellini et Petri. Abdon et Sennes. Proti et Iacincti. Agapiti et Siluani. Magni et Andree. neconon et de reliquiis sociorum eorum. duorum millium XC.VII. de corpore quoque s. Lupiani confess. Dentes quoque duo s. Goaris. it. reliquie Galli. Benedicti. Siluestri. Basilii. Amani. Audoueni. Amandi. costa s. Margarete. quidam s. Remigii episc. Reliquie etiam ss. uirginum Agathę. Cecilię. Lucię. Barbarę. Scolasticę. sed et de testamentis ss. confessorum Paulini. Maximini. Willibrordi. Remacli. Hucberti. Cuniberti. aliorumque plurimorum ss. martirum. confessorum et uirginum. quos tam ignorantia pretermisimus. quam percensere nimis longum duximus. Inueniē sunt ibi etiam supra altari aureo s. Salvatoris capsę auro et gemmis decoratę IIII. positę super duobus seriniis deargentatis. Corona altari superposita in modum pillei auro gemmisque compacta. in circuitu altaris ceborum auro argentoque paratum. Altare omnium sanctorum et lectum auro argentoque paratum. et duo ostiola circa eundem lectum similiter argento decorata. it. altare Lütharii imperatoris argenteum et IIII. capsę auro gemmisque composite. ad s. Mariam capsę una aurca. Tabule quoque argenteę per altaria XI. et VIII. capsę argenteę. Philacteria auro gemmisque ornata. in quibus reliquie continentur XX. pixides III. una argentea et due eburneę cum reliquiis. crues aureę sex. crucifixi argentei III. in abside circa altare parietes duo deargentataę. coram altare pendet rota cum tintinnabulis fabricata. Euangelia IIII. cum eo quod dominus *Lotharius* dedit. ex quibus unum totum interius et exterius aurum. argenteum unum cotidianum. Tabule ad opus euangeliorum IIII. due auro et lapidibus. altare argento compactę. Missalem unum cum auro et gemmis. lectionarium I. cum auro et gemmis paratum. Antiphonarium I. cum tabulis eburneis. Troparrium I. similiter cum tabulis eburneis. Ambo quod nos dicimus analogium argenteus cum arcubus preparatum et desuper aquila deaurata. stans super fabrica in modum pomi argentea. Pendulę id est machine quadrifilio opere composite. que gallica lingua *pantheres* nuncupantur. auro argentoque nitentes. Coronę argenteę VII. exceptis XIII. paruulis in cancellis deargentatis pendentibus. quarum due argenteę sunt deaurate. inter quas pendet

patena christallina. Coram altare s. Salvatoris lampades .VII. coram altare imperatoris due auree. Scutula una argentea. calices aurei .III. cum ipso. quem dominus *Lotharius* dedit. una cum totidem patenis et duabus fistulis. Calices argentei .III. exceptis his qui cotidiano usu ministerium habentur. Candelabra argentea .XIII. et unum magnum ex fusili opere cum imaginibus leonum compositum. Colatoria tria. unum aureum et gemmatum. cui supra meminimus *Lotharii* imperatoris. alia uero duo unum auro argentoque paratum. alterum argenteum cotidianum. Clamides qui vocantur ephod .II. manipuli quos nos vocamus phanones .XX. querum .XII. auro. et .VI. argento sunt preparata. exceptis aliis cotidianis. ampule .VI. cum .III. patenis. quarum tres auro gemmisque composite cum ipsa. quam supra memoravimus. et tres argenteae. Vrcei tres .I. aureus cum aqua manili. quem imperator *Lotharius* dedit. alius ex onichino totus absque aqua manili. tertius argenteus cotidianus. cum aqua manili. Turribula .III. duo aurea .I. argenteum et .I. metallinum. Accerrae .II. una eburnea. altera argentea. Pallia ad murum pendentia .XL.III. super altare s. Salvatoris .V. auro parata et .I. cotidianum. Super altare imperatoris .III. similiter auro parata. et .XI. alia per altaria. Pallea lanea in tempore quadragesimali super altaria ponenda .VII. unum sericum super altare s. Salvatoris opere plumario. alterum partim sericum super altare imperatoris. Dorsalia .X. Pulmaria serica ad sedendum .II. et alia .III. sub euangeliis ponenda. Implices duo. dalmaticae diaconales .XX.VIII. Dalmaticae subdiaconales .XX.III. cappae .IXXX. casule .XXX.

Abschrift aus dem XVI. Jahrhundert, in Trier.

4. Erzbischof Udo von Trier restituirt dem Stift zu Pfalzel die, demselben von Udo entzogenen Güter zu Enkirch. 1071.

I. n. s. e. i. t. Notum sit omnibus. quod ego *Udo* dei gratia *treuironum* archiepiscopus. cum res et possessiones ecclesiarum nostrarum perquirere statuissem. inueni preium quoddam in villa que nominatur *Enkirch* ab ecclesia *palatiensi* distractum et dampnoso concamio nudum *Riponi* nomine permisum quod minus diligenter factum fuerat. rescindi placuit. rogataque *Regenheri* prepositi ceterorumque fratrura ecclesie sue restituimus cum omni integritate. agros ac silvas. prata. vineas. excepta area sola. in qua sibi idem *Ripo* domum edificauerat. quam ei per nostram manum et voluntatem dicti prepositi legitima donatione tradentes. aliam ab eo accepimus. Quod ut ratum sit et indissolubile etiam competenti fidelium nostrorum testimonio et sigilli nostri impressione firmare curauimus. Actum anno domin. incarn. M.LXX.I. inductione .VIII. regnante *Henrico* rege. *Udone* archipresule. Huius rei testes sunt. *Euerhardus* comes. *Arnulfus* prepositus. *Adeloldus* decanus. *Godefridus* comes. *Godefridus de Stalle*.

Aus dem schlechten Cartular des Stifts, in Trier.

5. Schreiben des Königs Heinrichs IV. an den Abt Theoderich zu S. Maximin. c. 1070.

H. dei gratia rex. T. abbati. eunctisque fratribus salutem cum dilectione. Vota iustorum placabilia. Quecunque autem spiritus benignitatis in quo omnes iusti sunt quod fit nota nouere iustum quemlibet docuit. hec ut ipsa sibi soluat. pius. iustus. fidelis. potens erit. Unde seruientis nostri. H. petitionibus gausi sumus. quem beneficium quod ex uobis habet. ad euacuandum prebendę nestrę detrimentum. ad augendum salutis suę propositum. uobis reddere nouimus. Redditum ergo recipite. et nunquam alicui in beneficium concedite. quod nos cum illo rogamus. Memores igitur pro illo orare. pro nobis quoque orate. Expeditionem nostram super saxones prescribsimus. quam deo propitio. VIII. Id. Iun. finire decreuimus. Hoc igitur tempore incipiatis orare. et quamdiu maneat expeditio. uestra nos prosequatur oratio. Pro illo uero iugiter orate. et ne in proposito suo deficiat precibus domni exorate.

Abschrift auf der Rückseite der Urkunde Nr. 233 dieses Buches.

anno regni mei MCLXXXVII die XXI Junii factum est hoc.

Heinrichus IV. Rex. dicitur. Regnante anno regni mei MCLXXXVII die XXI Junii factum est hoc.

Heinrichus IV. Rex. dicitur. Regnante anno regni mei MCLXXXVII die XXI Junii factum est hoc.